



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 33. Parisiensis Cleri Gallicani Conventus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

iiidem, qui quidem harum legum necessitatem agnoscunt, plerumque tamen variis artibus earum auctoritatem, usumque eludere soleant.

§. XXXIII.

*Parisiensis Cleri Gallicani Conventus.*

*Spond. n. 18.* Jam anno priori Clerus Gallicanus ab Henrico IV. Rege facultatem impetraverat, ut pro more Conventum haberet, ibidemque de Ordinis sacri rebus, nec non ecclesiasticæ Disciplinæ restauratione deliberaret: nunc ergo ineunte hoc anno huic congressui initium dabatur, atque Episcopus Cenomanensis die vigesima quarta Januarii ceterorum nomine ad Regem deputatus, habita oratione deplorandum Ecclesiæ Catholicæ statum, atque innumeras Regni calamitates eidem exposuit, simulque remedia, per quæ ejusmodi malis occurri posset, suggerens, præprimis disciplinæ adeo labefactatæ causam exinde exortam declarabat; quod Concilii Tridentini statuta nullo adhuc publico Regis, totiusque Nationis decreto fuissent promulgata, proin nec eorum executio in Galliis urgeri posset, frustra vero tam salubria juxta, ac necessaria reformationis decreta, peccantibus ipsis Gallis, in Concilio fuissent condita, si ea executioni mandari  
non

non permittantur, de cetero autem po-  
 testas ecclesiastica, nisi regia auctori-  
 tate suffulciatur, nimis infirma foret,  
 ut corrupti mores ad hujus Synodi nor-  
 mam emendari, ac contumaces ad  
 officium redigi possent, cum nullius  
 auctoritatis sit Magistratus ille, qui non  
 habeat nervos, quibus fiat executio in  
 contumaces: quapropter Clerus Regem  
 enixe rogabat, ut sacrum hoc Conci-  
 lium publico edicto in singulis Ecclesiis,  
 ac Provinciis promulgari juberet: postea  
 Præsul de multis aliis oneribus, qui-  
 bus ecclesiasticus Ordo in Galliis ini-  
 que premebatur, queri cœperat, ad  
 quæ quidem capita Rex nonnisi ver-  
 borum benignitate, ac pollicitationum  
 amplitudine respondens duntaxat pa-  
 ctum de consueto pecuniarum subsidio  
 grato animo acceptabat, prætermissa  
 omni Tridentinæ Synodi mentione,  
 nec tamen propterea immotum Cleri  
 Gallicani studium deferbuit; cum enim  
 Præsules Tridentinum Concilium in Gal-  
 liis regia auctoritate, ac solemniter e-  
 dicto promulgari desperarent, saltem  
 per Provinciales Synodos subinde ce-  
 lebratas id in usum deducere, illius-  
 que decreta tanquam Synodica sua  
 statuta asserere nitebantur.

Sæcul XVI.  
 A.C. 1596.

*Collect. Con-  
 cil. Flav.  
 t. 10. p. 187.  
 Cabasut.  
 notit. Eccles.  
 Sæc. XVI.  
 pag. 765.*